

berg, Com. de Zternini. DD. de Rechron, Binder, & Scheller.

In platea Lutea vulgò *Kottgassen* / D. Baronis de Seel.

In *Neubau* Palatini Hungarici, & Principis Esterhazi: DD. de Andler, Albrechtspurg, & Enzin.

In fossa argillacea ad aureum agnellum hortus est à gratia multum amabilis.

Guntendorpii Episcopi Jaurinensis è Ducibus Saxoniae. Marchionis de Obizi. Com. de Königseck. Baronis ab Opper. D. Secret. de Mayern. Quo etiam referimus nondum absolutum, sed vel ab ipso jam exordio suo sumptuosum, qui unà cum Magnifico Palatio favoribus Augusti Rom. Regis in Schönbrunn mirà arte, & industrià pro dignitate tanti Principis adornatur.

Omnes hi vel vastitate immensi, vel ab ædificiis raris, & superbis pretiosi, vel à floribus, fructibusque aliarum Regionum mirandi, peristromatis arboreis, sylvulis integris, statuis, picturis, aliisque hortensibus deliciis amœni non minorem Viennensi Urbi gloriam, quàm animis ipsis genuinam delectationem pariunt, & voluptatem.

His Hortorum amœnitatibus non possumus non subnectere delicias alias, quas Urbs tota ex amœno arborum virore, pratorum varietate, fluviolorumque gratioso strepitu, umbrâ, aëreque jocante, ex vicino sibi post pontem loco excipit, quem *Prater* vulgari nomine compellant: Locus iste Suburbii Leopoldini conterminus eam habet in se amœnitatem, quæ & ipsas cum primariis Ministris Cæsareas Majestates sæpius sua vi sinu, venatione, aliâque recreatione refocillat, & copiosam serum etiam in tempus nobilitatem allicit, & invitat ad hilaritatem, locus ob id verè pretiosus, ac dignus, qui reliquis suam ob amœnitatem hortorum illicius comparetur.


Inter alia recreationi dicata, qualia copiosa tam Urbs, quàm annexa Civitati Suburbia numerant, in quibus variæ pro virium mentisque relaxatione exhibentur spectacula, numerandæ veniunt Domus Comicæ, & sphæristeria: illas quod attinet præter id, quod in Cæsareo, & Academico Societatis Jesu Collegio, ac Domo Professæ, in quibus coram Augustissimi

mis Majestatibus, spectante tam Nobilium, quàm populi confertâ multitudine Dramata exhibentur, ipsa in Regia novum, & amplum non dudum erectum cernitur Theatrum, quod à Scenarum varietate, commoditate, & reliquo apparatus comico non parvam sibi vendicat commendationem. Binæ adhuc aliæ habentur in Urbe Domus comicæ, quarum una in platea ad portam cœli, altera in platea simplici dicta sita est: Ubi frequenter per anni decursum tam ea, quæ aures, quàm quæ oculos ingenuè valent delectare, curioso spectatori cū hilaritate proponuntur.

Sphæristeria, quantum accepimus quatuor numerantur, ubi suam ad artis regulas dexteritatem amantes pilæ ostentant variis: in aliis albis, nigris in aliis pilis luditur: primum non procul ab Aula Cæsarea est erectum, ad portam cœli situm est alterum, tertium penes Monasterium ad Scotenses dictum: quartum tandem penes RR. PP. Ord. S. Francisci in Domo Albiana reperitur.

Inter loca recreationi servientia, non minimam sibi partem vendicat quidam Augustissimi Imperatoris locus, quem ab ædificio *Neugebati* appellant, asservantur hic diversa spectatu digna animalia suis divisa repagulis, & in certa fora distributa, Leones, Ursi, Tygrides, Lynces & aves rarissimæ, quarum una molis, & magnitudinis justæ pro plumis setis, aut quasi pilis est obducta, altera hæc spectatur bestia, cui Carpophoro nomen est inditum: accessit novissimè à Turcica Legatione allatum par Pantherarum tam cicurum, ut Vertagorum locò lepores capiant, eosque ad eum, qui curam illarum habent, apportent, & absolutâ venatione raro spectaculo equis veluti caniculi insideant, & assessori suo blandiantur, hæc tamen adhuc Turcæ cuidam, qui curam earum ulterius gerat, concreditæ.

Hoc etiam titulo non prætereundum judicavi spectaculum aliud, quod in Leopoldina quotquot Dominicis, festisque diebus æstivo tempore ad Leonem aureum vastâ in Domus area pergulis bene instructa copiosis semper spectatoribus exhibetur, ubi Urforum, Taurorum, ac aliarum tam cicurum, quàm ferarum bestiarum venationes instruuntur. Reliqua, quæ passim in domibus aliis reperiuntur lubentes prætergredimur, ac rebus aliis immeramur.



TITULUS ULTIMUS.

Magnitudo, & Ambitus Urbis.

UT Operi nostro finem imponamus, adjungimus coronidis locò quod titulo secundo promissimus, Urbis Viennensis Magnitudinem, & capacitatem, quæ cū in celeberrimis etiam per Orbem Civitatibus inter prima earundem numeratur decora, non in mediocri Viennæ Gloriosæ ornamentum ce-

det, & commendationem, cū, uti sequentibus ostendetur, maximas etiam Urbs nostra per Orbem Urbes, si non superet, certò amplitudine suâ adæquet; pro comperto enim habemus circuitum illius, si unà cum Suburbii, quæ vastissima elegantissimis Urbibus non imparia ipsorum hostium testimonio numerat, compute-

ur (quemadmodum ex Mathematica quapiam demonstratione anno elapso facta, accepimus) esse 20830. passuum, quæ sanè circumferentia ingens est, & propè immensa. Ut autem hanc cum aliis Urbibus comparationem instituerimus, eas, quæ ob amplitudinem suam celeberrimæ censentur, commemorabimus, additis Authorum, qui earundem magnitudinem exploratam habuere nominibus: A Principe Urbium Roma exordium sumimus, hæc ut Lipsius l. 3. de Magn. Rom. c. 2. testatur, cum suburbii ad Ostia usque potens in circuitu suo olim occupaverat 50000. passus, jam verò postquam à Gothis est vastata ad 21. vel 22000. passus esse redactam ajunt; David Frölichius tamen Cæsareopolitanus Mathematicus, qui Lipsio pluribus annis est recentior, Romam non nisi 20000. suo circuitu moderno continere tempore asserit, ex quo illam Viennâ 830. passibus inferioriorem esse cognoscimus.

Constantinopolim Romæ subnecteremus, nisi eodem Lipsio teste illam Romæ circuitu, & amplitudine suâ parem intelligeremus, adeoque & hanc à Vienna superari cognosceremus: quare Româ Neapolim quæ cognominis Regni Metropolis est concedimus: hæc testante Ludovico Gotofredo in Archontologia Cosmica non nisi 7000. passus suo complectitur ambitu, quare integris 13830. passibus à Viennensis Urbis magnitudine eam deficere est necesse.

Neapolim Venetiæ, uti idem Frölichius Author est 1000. superant quidem passibus, 12830. tamen à Viennensis Urbis amplitudine superantur, quæ, quia sunt amplissima Italiae Urbes, nulla alia est, quæ cum Vienna in comparationem venire queat, unde in Galliam ex Italia transitus.

Parisiensium vastissima totius Galliae Civitatis (reliquæ enim ob magnitudinem suam non admodum commendantur) amplitudinem non nisi ex copia incolarum, cum nullum de circuitu ejus Authorem repererimus, licet colligere, Urbis hæc, ut Nicolosius, Maginus, & Frölichius testantur 500000. Incolarum continet, Lipsius tamen reclamatur, eamque lib. 3. de Magn. Rom. cap. 3. ad 400000. suo tempore redactam numero defendit: Verùm quidquid sit de Parisiensium Incolarum numero, illud certum videtur, vel parem, vel ampliorem hominum multitudinem Viennæ degere, cum constans est opinio etiam ultra 600000. numerus Viennæ habitantium excurrat, quod vel exinde colligitur, quod vel in unico loco suburbiorum, cui à S. Udalrico est nomen ante modicum tempus 45000. personæ fuerint numeratæ. Cæterum ut ad solidiora nos convertamus, platea longissima Parisiorum juxta præfatum Frölichium ad ipsam Civitatis portam extensa, adeoque Urbis diameter, non nisi unicum milliare Germanicum, seu 4000. passus adæquat, sequitur proinde juxta regulam Adriani Mezii totam circumferentiam Urbis 12566. passus non posse excedere, quod etiam confirmare videtur dictum illud Caroli V. Imperatoris Gloriosissimi,

qui cum aliquando Lutetiam à magnitudine tantopere celebrari audisset, se Chyrothecam habere reposuit, qua Lutetiam operire posset, Gandavum videlicet intellexerat Flandriæ Caput, quæ Urbs verò in Latinum Gallico idiomate Chyrothecam significat; cum igitur ut Joannes König eruditissimus Geographus in *Vestigiis suis Mathematicis* affirmat, Gandavum ultra 12000. passus suo in ambitu non multum complectatur, consequens est, & Parisios, & Gandavum Viennensis Urbis magnitudinem non adæquare.

Verùm ut etiam in Lusitaniam nos convertamus, Ulyssipponem in comparationem adferamus, quæ Regni illius Urbis Princeps, & omnium est amplissima, sed & hæc ut sæpius memoratus Frölichius confirmat non nisi 8000. passus ambitu suo complectitur, atque adeo cum Vienna in magnitudine componi non debet.

Ne tamen sola in Europa nos detineamus, Oceanum conscendamus, & in Orientem vela faciamus, oggeret se illico, quæ reliquas inter Urbes primatum tenet celeberrima Goa. Verum hæc ut ait Lipsius ambitu 9000. passuum terminatur, ac vel ideo 11830. passibus à Vienna exceditur: ac ut etiam alias, suis quidem jam rudibus sepultas revocemus in memoriam, Persepolis celebris quondam Imperii Persici civitas 20000. passus numerabat in circuitu: Tauris mediæ Metropolis 16000. complectebatur, sed utraque Viennâ inferior, utraque superior est Vienna.

Et ne nimium prolixi simus, Cairum modernis etiam temporibus non tam Ægypti, quam Orbis universi celeberrimum Emporium præmemoratis adnecto: Hoc uti Vansleb. in *Rel. de Ægypto* pag. 117. scribit 15. Germanica miliaria, seu 60000. passus sua in circumferentia numerabat, sed etiam huic, si debitam proportionem observabimus Vienna potest comparari: nam Cairum quod attinet, nosse oportet, demissas plerumque casas potius quam domos in illa Urbe reperiri, quæ unius contignationis altitudinem non superent, cum è contra hæc in Urbe nostra omnes ferme ad tres, plurimæ ad quatuor, & nonnunquam ad quinque contignationes ascendunt, in quo si defectum aliquarum per excessum aliarum suppleamus, omnes saltem trium contignationum continebunt altitudinem, quod si igitur una contignatio separetur ab altera, & in unam locaretur una juxta alteram planitiem, triplo Viennam fore majorem, quam superius recensuimus, & quæ prius suo in circuitu passus habebat 20830. jam habituram 62490. adeoque non parem solum, sed etiam Cairo majorem passibus 2490.

Una restat adhuc magnifica illa, & antiqua Babylon, cujus tota circumferentia uti P. Kircherus in sua turri Babel lib. 2. Sect. 2. asseverat 365. stadia seu 45615. passus continebat, quæ & ipsa olim ædificia habebat augusta, & alta, quæ eodem modo abscindi, & juxta se poni potuissent, ut vel huic soli Vienna impar, & amplitu-

plitudine sua minor videatur. Verùm quamvis moderno tempore Babylone minor circuitu sit Vienna, si tamen proportionem ab augmento intra 60. circiter annos vel 70. factò, ad futurum intra totidẽm annos augmentum inslituamus, reperiemus Viennam Babylone ipsa futuram ampliorem: Vienna enim intra annos 70. circiter non obstantibus lue dirissimã, & diuturno, cruentoque bello ita est aucta, ut quæ sub Ferdinando II. Imperatore Gloriosissimo ultra 80000. homines non numeraverat, jam numerum 600000. superet, quanta futuris 60. vel 70. annis sperare licet incrementa? Certò si terminum istum juxta Arithmeticæ leges per regulam auream inquiramus, comperiemus, intra spatium annorum 70. hominum 3900000. in censum esse redigenda: Cùm autem Urbs ipsa vix amplius plures, quàm defacto continet possit recipere incolas, sequitur locum ipsum proportionaliter in tantum augendum esse,

quantum ipse incolarum numerus augebitur, cùm igitur hic sexies, & media parte major sit, consequens est, ipsam Civitatem sexies, & mediã parte majorem fore, atque aded in tota sua circumferentia numeraturam 136395. passus, qui æquivalent 34. minoribus Germanicis miliaribus, & 395. passibus, & hoc ipso Babylone futuram ampliorem.

Atque hæc sunt, quæ de Viennensis Urbis gloria differenda judicavimus, plura de eadem majora, & laudabilia dicturi; si instrumenta ad hoc debita, aliorumque, quorum petimus subsidium, ac tempus amplius habuissimus: quemadmodum enim unio in concha absconditur, quæ aliorum oculis obijcitur, & suum intus servat thesaurum, sic Viennensis Urbis gloria, quam hoc libello proposuimus, gloriæ illius, quam longè majorem habet Concha est, ex cuius venustate, & splendore facillè latentis decus preti licet conjecturare.

F I N I S.

